Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 295
Quelle:
Copyright:

ctam. Absque anni nota, sed quae de Viro hoc memorantur, jam ad ejus *Lecturam in Esdram et Nehemiam* retuli. In praesenti ante textum etiam Prologus *Hieronymi* exponitur hoc ingressu: *Lucas nacione syrus. Beatus Jeronimus premittens prologum huic libro quinque principaliter in eo facit* &c. Textus vero ipse sic init: *Primum quidem sermonem &c. Hic incipit liber actuum apostolorum, in quo sanctus lucas primo se continuat ad precedentia* &c. Ad calcem accedit Tabula materiarum in praeclaro hoc Commentario tractatarum.

II. *fol.* 132. *Dominica prima in 4oma. Incipit materia de confessione edita per venerabilem et egregium doctorem magistrum thomam de haselpach in austria situata et predicata ab eodem Anno Domini 1432° in castro* (Burg) *Wyennensi &c. in tempore quadragesimali.* En virum in utraque cathedra tempore suo utilissimum. *Sermones* VIII. sunt, qui ad rite de peccatis confitendum ubertim instruunt. Praeit illos Expositio Lectionis *Epistolae Pauli II. ad Corinth.* illius Dominicae: *Hortamur vos* &c. quae incipit: *Quia tempus ualde preciosum est, et quidquid de eo perdidimus, hoc non reuertitur* &c. Extabant hi *Sermones mss.* etiam in Biblioth. Canoniae *S. Hippolyti in Austria.* Nobis vero accedit *Sermo de Jejunio predicatus* 1431. *Sermones II. de Gula,* ad quorum calcem notatus idem annus, Cursus alter quadragesimalis constans *Sermonibus II. de Penitentia, I. de Confessione, III. de Satisfactione*, cujus initium: *Facite dignos fructus penitentie. Ita hortatur nos predicator penitentie b. baptista* &c. Atque posteriora haec T. I. *Scriptt. Univ. Vien.* inter *Haselbachii* Lucubrationes p. 156. et *seqq.* non inveni.

III. *fol.* 253. p. 2. *Incipit tractatus de confessione et discussione Conscientie.* Et ad calcem: *Hoc opusculum editum est a domino doctore Magistro Nicolao Dinkelspuel doctore sacre theologie studij Wyennens. qui obijt Wyenne Anno domini M° CCCC° XXXIII°* Extare impressum dixi *Vol.* I. P. 2. *col.* 1775. et alibi. Initium est: *Secundum Magistrum et doctores in 4°.* &c. E diversis Librariorum inscriptionibus perperam multiplicari Scripta Antiquorum, vel ex hoc opusculo liquet. Vide T. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 92. ubi ter vel quater adfertur.

IV. *fol.* 265. Συλλογη de Sacramento Poenitentiae, cui insunt sequentia: 1) *Casus Papales, Episcopales*, et qui sint *remouendi a communione sacramenti.* 2) *Generalis katolicorum confessio.* Prolixa et minuta de omnibus vitiis. 3) Excerpta e *Job. Gersone de absolutione, excommunicationis et iniunctione penitencie.* Item *de modis excommunicacionum, irregularitatum et absolucionibus ab eisdem.* 4) *Excerpta a quodam tractatu*, in quibus de Confessarii habitu ad Excommunicatos, Casibus reservatis implicitos, et moribundos, de Satisfactionibus, et 6. Vitiis capitalibus agitur. 5) *Casus ex-*